

culum à Deo sanctificatum. Psal. 56. 5. Populus  
acceptabilis Tit. 2. 14. Genus electum. 1. Pet. 2. 9.  
&c.

89. Quae sanè elogia uti Turcis, Iudæis, aliisq;  
infidelibus populis assignari nec possunt nec de-  
bent: ita ab horum consortio, Ecclesia discernitur,  
quando sancta nominatur.

90. Neque verò Sanctitatis hic titulus promi-  
scuè universis ac singulis, qui in coetu vocatorum  
versantur, ex equo competit, nisi forsitan Termini-  
num sanctitatis, ἐν ᾧ ἀπέτεi accipere, & ad omnes  
accommodare velimus, qui per Baptismum DEO  
sunt dicati ac consecrati. Quos sanè sanctos suo  
& modo & respectu in scripturis appellari, haud  
negamus.

91. Quia vero de sanctitate Ecclesiae propriè  
ex præscripto Scripturarum agit Confessio nostra,  
quae non nisi imputatione justiciæ Christi nobis ob-  
tingere potest: Imputatio vero non fit nisi per fi-  
dem, Rom. 4. 5. Quia etiam (quoad inchoatam  
sanctitatem) Spiritu sanctificantur in timore Dei.  
2. Cor. 7. 1. non nisi qui credunt, & hoc Spiritu a-  
guntur, Rom. 8. 14. Consequens profecto fuerit,  
eos omnes, qui Fidem & Spiritum Sanctum non  
habent, licet sint in Ecclesia, Sanctos tamen mini-  
mè esse dicendos.

92. Et sanè si Ecclesiam in singulis membris san-  
ctam esse necessum sit, mox nulla in terris Ecclesia  
supererit.